

19







1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

9.

10.



1686.

1. Bergerus, Joh. Godefridus: De chilo.
2. Meiners, Michael: De supplicii crucis abrogatione.
3. Menckel, Ludovicus: De rescissione emptiois ven-
ditionis per satisfactionem factae ab laesione
retra dimittitur. ca 1. 2. l. de rescind. vend.
4. Menckelius, Ludovicus: De alimentis filiorum a patre
praestandis et non praestandis.
5. Mylius, Andreas: De jurisdictione mandata.
6. Philippus, Fridericus: De usu.
7. Philippus, Fridericus: De remedio l. si conten-
das. dig. de fidejussoribus.
8. Schreuderdorfferus, Barthol. Leobhardus: De acquisitione
regalium.
9. Schreuderdorfferus, Barthol. Leobhardus: De pernicia
line extra domum.
10. Schreutnerus, Johann David: De matrimonio feminae
Imperatoris cum marito subdito.

11926
2
Hact Thomasius, Christianus: Te filio, sub conditione

si si filius probaveris, herede instituto est.

f. Lucius 83. de cond. et demonstr.

Handwritten notes in the left margin, including the name 'Toum' and other illegible characters.

Faint, mirrored text from the reverse side of the page, including the name 'W. H. I. O.' and the title 'Confensu Gratiosissima Facultatis Medicae'. Other names like 'JOH. GOTHOFREDO BERGERO' and 'MICHAELIS JACOBUS FICKIUS' are also visible.



Handwritten text in a cursive script, likely a list or index, with several lines of text that are mostly illegible due to fading and bleed-through from the reverse side of the page.



4295

IN NOMINE JESU!

1686, 10

Ps.

DISQUISITIONEM POLITICO-MORALEM
DE
MATRIMONIO FOE-
MINÆ IMPERANTIS
CUM
MARITO SUBDITO,

Ampliss. Facultat. Philosoph. Indultu

SUB PRÆSIDIO

M. JOHANN - DAVID
SCHWERTNERI,

SS. Theol. Baccal. & Facultat.

Philosoph. Assess.

Præceptoris ac Favoris sui ætatem colendi

Ad d. XVI. Jan. M. DC. LXXXVI.

placidæ eruditorum disceptationi
subjiciet

JOH. CHRISTFRIED USÆUS,

Chemn. Luf. Theol. Cult.

H. L. Q. S.

LIPSIÆ, Typis JOHANNIS GEORGL.

VIRIS

Nobilitate Generis, Virtute Meritorumq; Amplitudine
Generosissimis maximeqve Strenuis Dominis,

DN. ADAMO FRIDERICO

DN. JOHANNI ADOLPHO

DN. CURT Gottlob

DN. JOHANNI ERNESTO

Reichwald
de
Kämpfften /

Fratribus Germanis

Hæreditariis in Ober- & Nieder-Bischdorff
& Mittelhorcke /

itemqve

Horum Affini simillimo, dignissimoqve

DN. HENRICO Gottlob de Oberländer /

Hæred. in Nieder-Reichenbach /

Dominis meis indulgentissimis, Patronis Exoptatissimis,
Nec non

Plurimum Reverendo, Præclarissimo
atqve doctissimo,

DN. M. SIEGFRIED USÆO,

Ecclesiæ Chemnicensis Pastori vigilantissimo, Parenti
de Vitâ, Educatione, ac præsertim studiis meis summe
merito, devotè venerando,

Cum faustivâ edecumatæ Felicitatis Apprecatione

Has Studii Academici Primitias

ut religiosi Affectus, plenissimiqve Obsequii tesseram, inqve ulterioris
Favoris ac Benevolentia incitamentum

submissâ Animi Observantiâ

inscribit

Johann Christfried Usæus.



I. N. F.

I.

Matrimonia dari, quæ vel neutri Conjugum in alterum Imperium indulgent, vel ipsum quoque Maritum, summo Uxoris Imperio subjiciunt, neminem inficias ire arbitror, præterquam qui hospes sit in Historia. Mifsò priore de posteriori Conjugiorum Genere quædam in præsentiarum locò speciminis Academici in medium producere lubet.

II.

Præsuppono autem tanquam satis notum, quid Conjuges, quidque Matrimonium sit, nempe unius *Viri & fœminæ simultaneæ mutui Adjutorii, sobolisque procreandæ causa cum Consensu inita Con-junctio*. Arceri porrò ab usu Matrimonii neminem simpliciter, cæteris tamen paribus, posse reor, cum præter naturalem obligationem, naturalis quoque charitas unicuique haud inepto suadeat post individuum ipsam quoque conservare speciem, faciente hûc Societatis Conjugalis appetitu omnem, quæ eam sequuntur, molestiarum formidinem facile superantem. Non enim bonum est ordinariè hominem solum esse, effatum est divinæ Majestatis, divusque Apostolus Oculum ad corrupti hominis Naturam flectens non obscure necessitatem indicat, jubens: ut, qui ustiones scil. insuperabiles, continuasve sentiat, propter vitandam fornicationem Uxorem habeat. Unde GROTIUS ait: Sine Fœminâ ætatem agere, etsi humanæ naturæ non omninò (absolute) repugnat, repugnat tamen naturæ ple-rorumque hominum. Cœlibatus enim excellentibus Animis convenit de *J. B. & P. lib. II. c. 2. §. 21. n. 1.* conf, DN. D. ALBERTI, *Præceptorem nostrum obsequiosò Pietatis cultu nunquam non prosequendum, Comp. J. N. P. II. c. 10. §. 3. & seq.*

III.

Eaꝗ propter Fœminis illustribus beneficio Successionis, Lege publicâ in Regno sive Usufructuario sive patrimoniali, ut cum Grotiô loquamur, ad Imperii Clavum evectis, salvâ vel publicâ Auctoritate vel Fine atqꝗ Scopo Imperii successivi, vel denique Jure, quod unicuiqꝗ hominum Matrimonii capaci competit, Conjugiô interdicti non potest. Quamvis enim non absolum sit, Imperii cujusdam restricti Ordines personæ debilioris Sexus, cujus Imperio subsunt, cuidam nupturæ, à quo fortè Resp. incommodum aliquod experiri possit, obloqui; Quod in Poloniâ Hedvigi Ludovici Regis Filix, quæ Wilhelmum Austriacum amoribus suis non indignum reputaverat, obtigisse perhibet CROMER. *de Reb. Polon. c. XIII. in fin.* quam Procerum sententia permovit, ut Jagellonem Lithuanum in thori sui communionem adscisceret, Ipsô tamen legitimô Viri Contuberniô ejusmodi Persona Imperans non nisi contra divinum pariter ac naturale Jus carere cogeretur. Propterea tametsi leges Populorum nonnullorum civiles exteris connubia denegent nixæ seu damni ratione exindè oriundi, seu aliis causis, quas videsis apud GROTI. *Lib. II. c. 2. §. 21. n. 2.* tantopere tamen in propria viscera non sæviunt, ut nobilissimæ Reip. suæ Parti h. e. Imperanti, Societatem omnium jucundissimam denegarent, non nescii, quod illis longè minus à Conjugio abstinendum sit, qui vices communitatum gerant, videl. à quibus plus damni in humanum Genus proficiscitur, quàm à privatis aliis. Unde Scriptores Papistici inter alia Causam petunt, cur Principes etiam religiosis Votis jam tum obstructi, si Conjugium appetant, ab Obligatione eorundem eximi debeant. Conf. BECM. *Pol. Parall. Disp. VII. §. 1*

IV.

Emergente itaqꝗ eô Casu, ut solitariam Vitam cum Còjugali commutare placeat imperanti Fœminæ, meritò de isto Matrimonii Genere disquisitio instituitur, *An & quale illud sit, si cum Marito subdito copulari amet.*

V.

Equidem si cœteræ Orbis Partes æque ac Gallia, seu immemorabilis Temporis consuetudine, seu Legis Salicæ vigore adducta, infirmio rem Sexum imperandi munere excluderent, supersedere de facili hâc Quæstione possemus, At cum BODINUS, ARNISEUS,

SÆUS, LIPSIUS, aliorū seu ex Patribus, seu ex Politicis adversus
Fœminarum Imperia frustra pugnent, defendentibus ea PETRO
GREGORIO THOLOSANO *Lib. VII. de Rep. c. II.* DANÆO,
BESOLDO, BOXHORNIO, SELDENO, &c. Regnaq̄ cum plura,
v. g. Regnum Angliæ, Mariâ & Elisabethâ, Scotiæ Mariâ, Castiliæ
Isabellâ, Sueciæ Christinâ, Hungariæ Mariâ item suâ non sine mul-
tarum nationum admiratione imperantibus, reipsâ satis superque
docuerint, Fœminas seu Majestatis seu Imperii simpliciter incapa-
ces non esse; Præterea etiam eò deventum sit hodiè, ut vel absoluto
Regum potentiorum arbitrio Imperia Bellò parta Hæreditatis Re-
giæ Pars facta sint, vel Populus, molestiis Electioni nunquam non ad-
hærentibus felicius se liberaturus, collatò in Imperantem ejusque
Hæredes omni suò Jure, neutrum Sexum neglexerit; Fœminas atq̄
atq̄ Infantes, quibus Pæocratici Imperii defensores Jus superiori-
tatis adscribunt, ad gubernacula admittendas esse, nemo ambiget.
Quamquam id nonnullis Regnis v. gr. Castiliensi in more positum
esse non negare ausim, Mares ejusdem lineæ minores fœminis natu-
majoribus præferri. Neutiquam tamen planè excluduntur, nec si
adsint, neglectò ipsorum Sexu ad aliam Masculis florentem lineam
fit Transitus.

VI.

Quæ illustris atq̄ splendida prorsus Fœminarum dignitas ^{quæ} cum
legitimò Matrimoniò stare possit, quin etiam ob regiæ stirpis Pro-
pagationem, debeat, cum certò adhuc certius sit, ad primam Quæ-
stionis Partem affirmativè respondendum esse, quis non videt?

VII.

Conveniunt enim huic Societati omnia Idiomata, quæ tribui
aliàs consuetudini Conjugali à Moralistis solent. Dummodò
enim à neutrâ Parte contrahentium ullus seu Physicus, seu Moralis
stet Defectus Thalami Ingressum prohibens, quorum priori generi
adscribunt aliqui Pubertatis Defectum. Hæc enim destituti, com-
munionem Corporum carent, & ad procreationem Sobolis inepti
sunt, quid, quod ad consentiendum quoq̄ non satis sint idonei, quæ
ex mente GROTII Legum istarum civilium causa est, quibꝰ Promis-
siones minorum irritæ pronuntiatae sunt, sicut apud Romanos olim,
& Græcos, Ebræos tamen valere promissionem, quam fecerat Ado-
lescens XIII. Annorum, Puella quæ XII. impleverat, passos esse, idem

docet GROTIUS. *de J. B. & P. l. II. c. 11. §. 5. n. 2.* Quanquam id apud Personas illustres non observari semper ipsa declaret Experientia, exemplis tùm vetustioribus suffulta, quale est Claudii Imperatoris Teste SUET. *in Claud. c. XXVI. & XXIV.* Calamitates domesticas ab immaturis nuptiis auspicantes; tùm etiam recentioribus, e. g. Richardi II, Angliæ Regis Filiam Caroli VI, Galliarum Regis Veneri adhuc inhabilem secum abducentis. vid. ARNISEUM *de Jur. Connub. p. 63.* ZOSIMI Judicium, si hâc de re velis, accipe ex *libro V.* ubi dicit: *παρ' εὐδαιμονίας εἰς μίσην ἐκδύναι, Φύσεως ἀδυνατίαν καὶ ἄδεν ἕτερον εἶναι.* Nostriq; Theologi observant desponsationes Impuberum rarò feliciter cessisse; cum Parentes in illis non tàm Conjugium, quàm Opum & potentia Conjunctionem plerumq; spectent, de quo Non nemo apud CAMBDENUM Sufflexio opulentum Principem Reginae commendanti, respondet: Ubi tria illa, Honos, Potentia & Opes in nuptiis spectentur, Diabolum & mundum auspices esse & pararios vid. *h. l. p. 128. in Elizab.* adeò ut ex sacro Codice hujus rei Exemplum vix ac ne vix quidem afferri possit vid. GERHARD. *de Conjugio n. 128.* Tempora tamen maturitatis istius ex Indole ac temperamento nationum ac populorum æstimanda esse censent GERHARD. *d. l. n. 231. & n. 128. & CARPZ. Jurispr. Consistor. l. II. Tit. I. Defin. 12.* Huic etiam annumerant reliquos corporum defectus; imprimis perpetuam & incurabilem Impotentiam vid. B. SCHERZERI *Syst. Loc. XXVII §. 7.* SANCHEZIUM *de Matrimonio lib. VII. disp. 92. it. 106.* FRANCISCUM AMICUM *Curs. Theol. n. 9. disp. 24.* Posterioris Generis impedimenta præter alia Consanguinitatis vel affinitatis arctiori nexu nituntur, quorum primum quidem vix in aliò, quàm in absoluto Regno occurrere potest, cui peculiare istud est, quod Principum Regumq; absoluta potestas neminem se superiorem, neminem in Regno suò æqualem ferat, sed omnes etiam consanguineos agnoscat subditos Conf. BOECL. *Ann. ad Tac. lib. XV.* ea, inquietem, est Regni Sanctitas, ut nemo in Regno esse possit aut debeat, qui non agnoscat Regiam Majestatem, sive cui Rex non sit Rex. In Principibus autem restrictis alios obtinere mores censet BECM. *Medit. Pol. disp. 8. §. 7.* scribens: Patrem Principem in Imperio Germanico extra res domesticas nullam Jurisdictionem in filios habere, cum hi non minus sint Principes Imperii, quàm ille, nec Patri adeò nascantur, quàm Imperio.

8. Im-

VIII.

Impuras itaq̄ nuptias contracturi essent consanguinei atq̄ Affines, puta iis in gradibus tales, qvi jure divinò sunt vetiti. Licentiosas enim Pontificum Romanorum dispensationes fores incestui pandentes impias esse censemus, quæ effecerunt, ut Ferdinandus Siciliae Rex Johannam Patris sui Sororem, Johannes Casimirus Rex Poloniae Viduam Fratris, Emanuel Rex Portugalliae duas successivè Sorores, Rex Portugalliae tùm adhuc viventis Uxorem duxerit, & Catharina Filia Ferdinandi Hispaniarum Regis duos Fratres Angliae Arturum & Henricum IIX. Maritos habuerit quæ Exempla absurdissima ipse FRANCISCUS AMICUS *Curs. Theol. Tom. IX. Diss. 17. n. 29.* diffiteri non potuit. Quibus tanquam potioribus aliisq̄ Impedimentis, quæ pro sufficientibus habent Theologi, absentibus, atq̄ accedente libro in consuetudinem conjugalem sobolisq̄ procreationem consensu non potest non inter tales personas veri nominis obtinere matrimonium.

IX.

Id quæri adhuc potest, annon infra dignitatem Personæ Fœmineæ sit, si Magistratum gerat, jungere sibi Maritum ex fuorum subditorum numero? Notum est enim Conjugium esse summum, Amicitiae Gradum, qvi cum Auctoritate summo Imperanti abs universis ac singulis subditis perpetuò & sine limitatione exhibenda vix videtur subsistere. Petant ex hoc præsertim Capite Argumentum Moralistæ adversus Matrimonia Liberos cum Parentibus vel iis (ex collateralis lineæ consanguineis) quæ instar Parentum sunt, Reverentiam naturalem iis debitam à Conjugali Familiaritate tolli, rati vid. DN. D. ALBERTI *Com. P. II. c. X. p. 175. 176.* item B. AUGUST. *Lib. XV. de Civ. Dei c. X. VI.* nescio, inquit hic, quomodo humanæ verecundiæ inest quoddam naturale atq̄ laudabile, ut cui debet causa propinquitatis verecundum honorem, ab eâ contineat. GROTIUS *7. B. L. II. c. 7. num. 13.* ait: Esse naturalem, quandam verecundiam, quæ non sinat ortus sui Auctores cum suâ sobole, aut in seipsis aut etiam Personis sanguine, aut nuptiali sanguinis commixtione proximis contrahentes misceri. Par videtur ratio esse Magistratus, quem ad classem Parentum ipse Deus retulit, atq̄ humana ratio in ipsis quoq̄ Gentilibus violationem, Magistratus Parricidio æquiparavit. Naturalem verò illam verecundiam ex generali Principio Pudoris demonstrandam esse credit

dit BECM. *Med. Pol. Diss.* 7. §. 13. Quem dolorem vocat ob indecorum aliquod in nobis deprehensum conceptum, agnitionemque fordidum, vasorumque ac receptaculorum, quibus insunt, Unde concludit; eodem nos avocari ab iis praesertim, quibus maximum cultum ac reverentiam debemus, ne tales agnoscamus in iis Sordes, quas in extraneis quibuscunque totoque adeo humano genere pro indecoris agnoscimus. Videturque divinus Legislator eò spectasse prohibens, ne turpitudine personarum majoris Auctoritatis, quales ibi expressè nominantur Parentes, denudetur, ipsasque ideò menstruatas accedere vetans, ne earum foeditas reveletur.

X.

Praeterea aliquem saltem si non omnimodam obsequendi necessitatem secumfert Conjugii natura, à quâ tamen in his terris summum Imperantem absolvisse Deus hoc ipso testari vult, quod vices suas Auctoritatemve in eundem conjecerit, quo propterea indignum est aliis inferioribus parere.

XI.

At enim verò tametsi hæc omnia non sine specie veritatis dicantur in statu tamen corrupto ipsa non raro Necessitas suadet à communi retrò abire Regula, dummodo saltem nihil inhonesti in altera, quam amplectendam dicimus, lateat. Suppono nimirum necessitate urgeri Illustrem Foeminam, quæ Proclivitate in alterum Sexum digerere nescit, partim restringendæ propriæ libidinis causa, partim etiam ex Amore in Subditos, quibus si benè morata sit, simili Sobole prospicere optat, inque Regnis Successivis hæc ratione *à rexi* post Fata facile oborientem, involantibus nimirum aliis, præprimis si de nulla cautum prius sit Fraternitate, avertere cupit, partim etiam ut Subditis satisfiat, vel ex Amore benè Imperantis, vel ex formidine deterioris Hæredes Votis suis aliis extraneis præferentibus, ut nuptias ineat. Quemadmodum hæc ratione Angli Elizabetam ad Conjugium instigabant, dicentes, se nihil ardentius precari, quam ut felicitas ex arcuissimo ejus Imperio hætenus percepta, Anglorum genti in omnem æternitatem perpetuetur, quod fieri aliter non possit, quam si vel ipsa æternum imperet, vel ex matrimonio liberos maternæ virtutis ac imperii simul hæredes suscipiat, *Cambden. P. I. p. 20.* Porro ponam, non arridere vel Imperanti ipsi, cui imprimis ad Palatum esse debet, quò cum in-

disso-

dissolubilis vitæ nexus jungendus est, nec ipsis etiam subditis, quibus Maritò exosò molesta esse Persona imperans non vult, placere extraneum Principalis aut Regiæ dignitatis hominem, sicut Proceres Angliæ maluissent olim Mariam Reginam suam vel Reginaldo Polo Cardinali, vel Corteneo Devonix Comiti, utriq; scil. Nobilibus Anglis commendatissimo Matrimonio jungi, quam Philippoll. Hispaniarum Principi, cuius tamen Nuptias Regina prætulit, arbitrata, Matrimonium tam potens Suæ, Regniq; impacati firmandæ Quietis magis conducere. Ceu prolixè hæc describit P E T R U S SUAVIS *Hist. Concil. Trident. Lib. V. p. 448.* Quod Matrimonium postea, ne privilegiato Regno præjudicaret, tam egregiè circumscriperunt optimates Anglici, ut Cupidine absolutæ Monarchiæ, cuius eum insimulaverant multi, mirum in Modum sedatâ, penes Mariam Reginam imperandi Facultatem manere unicè cernerent Proceres. *Conf. BECM. Medit. Pol. p. 98.* Hûc collimasse patet Leycestrius ratiocinia, cum in Aulâ Anglicana de Elizabethæ Regiæ nuptiis cum Carolo Archiduce ageretur: Exterorum, inquiebat, Mores, Mentem & Ingenium perspicere non posse, quæ in Marito, qui individuò nexu sit una Caro, perspicere imprimis interest, &c. Mulieres Principes externis Nuptiis, non suum sed alienum Regnum plerumq; augere, se suosq; alieno Imperio subicere, nec non Regni Arcana exteris prodere. Exterum Maritum pro innatâ in Patriam charitate Anglos suis posthabiturum. Angliæ externò Auxiliò nihil opus esse, quæ ad se suaq; tuenda, & vim externam propulsandam satis habet in se Præsidiis. Alterius Regni accessione nihil nisi majores expensas, curas, & solitudinem accedere. Illud autem in Nobilitatis Contumeliam à nonnullis usurpari, domestico conjugio aliquid à regia dignitate detrahi, cum Regia Majestas, quæ ad tantam sublimitatem viam sibi Virtute aperuit, à Nobilitate ortum repetat, nobilesq; Familiæ Regiæ stirpis quasi radices, existunt, vid. CAMBDENUM *Elisab. P. I. p. 129.*

XII.

Itaque fatemur & ipsi æquali nubendum esse, si nimirum haberi possit, ac tale Connubium Imperio vel Regno salutare sit, si damnosum censeatur, malo atq; damno ab Imperio aliâ ratione avertendo omnia reliqua cedere debent incommoda longè minora detrimento Populi. Nam in statu corrupto ne minima qui-

B

dem

dem, nedum majora ex Voto peragi possunt. BARCLAJUS inter alia Regem ad Filiam sui loquentem introducit *Lib. III. Argen. c. 15.* Privatorum est eligere Matrimonia ex Amicitiae affectu & Morum Concordia, nobis illa Suavitas exuenda, &c. Aequalitas omnino Fundamentum Amicitiae optimum est, sed Virtutis puta, Amoris & ætatis non semper Status & Conditionis. Aequalitas status ac dignitatis in Mariâ ac Philippo II. Rege Hispaniæ, cujus Exemplum paulò ante attulimus, liberaliter deprehensa, nihilominus à Similitate ac livore regium istud Par immune esse haud passa est. Conf. *BECM. Med. Pol. Diff. VI. §. 3. p. 98.* Requiritur & ipsi Casuista status Proportionem, sed geometricam, ubi ex Hypothesi Status corrupti Arithmetica haberi non possit. Sic David in Regem jam pridem inauguratus, adeoq; legitimus Monarcha cum Opilionis quadantenus splendidi ac divitis viduâ Abigail Sanguinem Regium miscuit. Sic idem Senio propè confectus ex subditis suis Abisag Puellam duxit, quæ si vera Uxor non fuisset, Adonias eius Thalamo ambito non potuisset ad Regnum grassari, cuius sententiæ etiam est, *DANHA W. Theol. Conscient. Part. II. dial. 3. p. 771.* D. MENZER. *Loc. de Conj. p. 123.* B. LUTHERUS *Tom. II. Jen. f. 128. ait:* Was schadet es / ein Fürst nehme eine Bürgerin &c. Adams Kinder / Gottes Creatur / und ist ein Mensch des andern werth.

XIII.

Familiaritatem quod attinet, ea quidem permagna, sed non absolutissima, nec Majestatis destructiva est. Sed cum metu Imperii consistens, quem amicitia conjugalitatis non destruit, sicut amor in subditos Imperio in Principe non extinguitur, uti PUFENDORF. loquitur *Lib. VI. c. I. p. 769. de J. N. & G.* Neq; divinum Numen in prohibitione Personarum ullam fecit mentionem Magistratus, tametsi probè intellexerit, quin etiam monuerit Magistratum cum Parentibus quoad cætera in æquali habendum esse pretiò. Ut taceam, si hæc Ratio universalis esset, Reges Populi Israelitici in absolutò suò Imperiò debuisse hæc ratione manere cœlibes, aut regiam semper Personam ob Ethnicismi Scelus atq; adeò Atheismi Crimen Deo invisam ex Gentilibus accersere. Ulterius Conjugium ad privatas Principis Actiones pertinet, non obstante, quod ex priuatâ hac Actione non minor atq; ex aliis fructus, aut damnum pro re natâ ad Remp. redundare possit. Amicitia igitur

Con-

Conjugalis, cum Regina aut Principissa, tanquam cum Persona privata, i. e. homine istius indigo, qui nihil humani à se alienum putat, contracta, nil detrahit Majestati, ac Juri imperandi quod habet, cujus gravitas tanta est, ut ejus recordatio sanctum semper terrorem ac meum Marito Virtuoso incutere possit, ne abutatur eâ, quâ cum in Thoro aliàs familiarissimè conversatur.

XIV,

Obsequium quod Conjugium istud requirere dicitur, Majestatem non magis deformat, quàm aliorum Pactorum servatio. Etenim hoc ipsum quoque ex Pacto provenit, quod liberè absque omni coactione iniit Matrimonium. Quemadmodum igitur Deus non gravatur præstare quod promisit, quod dum facit, nihil quicquam divinâ suâ Maiestate indignum peragit, quin potius id efficit, quod cum Perfectione suâ maximè conspirat; Ita Magistratus Justus ea haud sustinere veretur, quæ ex liberrimâ Conventione ferre aut pati necessum habet. Quod enim primò Libertatis erat, id Necessitatis postea factum est. Accedit & istud quod divino potius Ordini, quàm Voluntati alicuius subditi hinc ipsò satisfiat, quia Coniux inferioris Conditionis Matrimonialia Officia vi divinæ Institutionis exigit, cui parere, quid quæso honestius?

XV.

Ad alteram Quæstionem, nempe ad Qualitates & Jura huius Matrimonii progrediendum est. Tribuit aliàs Societati Coniugali communem omnium Jurium participationem *B E C M. Med. Pol. Diff. VI. §. 3.* At hoc simpliciter & illimitatè accipi non potest. Excipi enim solent interdum per Connubialia Pacta Jura quædam, quorum particeps nullò modò fit nova Coniux, planè ad eum Modum sicut nonnulli ex Liberis quibusdam, Juribus Parentum carere interdum coguntur: Sed intelligenda semper ea sunt Jura, quæ Coniugibus ut talibus competunt, quia enim Matrimonium est Contractus species, ideò contrahentes varia eaque reciproca fortiuntur Jura, quæ vel ad Essentiam Matrimonii pertinent, vel ad Accidentia certo statui accommodata.

XVI.

Prioris ordinis jura sunt communio animorum & corporum, sc. exclusiva, h. e. solitaria, ad eos unicè pertinens, qui in Communitatem vitæ ac lecti consenserunt, exclusis omnibus aliis

personis peregrinis. Si enim ad statum integrum, tanquam juris naturalis perfectissimum magistrum, graviter sic judicante DN. D. ALBERTI in hypothefibus suis *Jur. Nat.* utrumque oculum vertamus, deprehendemus quocumque, usum ejus in presenti materia. Naturalis enim ille status unum Par conjugale nobis exhibet, docetque adeo DEUM, tametsi Pater esset spirituum, cui quantillus labor fuisset plures scæminas maris socias condere, nihilominus tamen voluisse ordinariè impostero citraque manifestam suam dispensationem Patribus postea indultam quolibet Conjugii vinculo duos tantum diversi sexus homines constringi. Quod æterna confirmat sapientia litem istam diremtura Matth. 19. provocans ad primævam institutionem tanquam ad ideam, & normam unicam rectissimamque sacri hujus ordinis.

XVII.

Exindè resultat jus corporum *ἀντίσπερον*, ut Marito & quidem soli, uxoris copia debeat, soli que vicissim uxori, nullique præter hanc facultas utendi atque fruendi marito suo suppetat, ex quo mulier vivente virò, rem cum altero habens, Apostolo audit adultera Rom. VII, 2. Et ordinarius abs Deo matrimonio præfixus finis est sibi suamque propriam prolem quærere Conf. DN. PUFEND. *de J N & G. l. VI. c. I. p. 775.* Cui juri neutra pars renunciare potest, seu separatim, quia mulier viro est alligata quamdiu vixit. 1. *Cor. VII, 39.* nec potestatem sui corporis habet sed vir ib. v. 4. quæ potestas tamen tanta non est, ut alteri eam concedere possit, sed ut eam moderatè adversus prementem libidinem uti valeat, vid. B SCHERZ. *Syst. XXVII. pag. 808.* sive conjunctim, quia quod DEUS conjunxit homo ne separet, quodque antea libertatis fuit, id postea propter ordinationem divinam necessitatis est. Et hæc accommodantur absque ulla legis limitatione æqualiter ad omne conjugium, seu illustre sit, seu vulgare sine respectu ad imperantes vel ad parentes, atque adeo pactum conjugale necessariò mutuum Dominium consequitur, quod sustinere, ac pati tenentur omnes conjuges modò non adversetur ejus usus rationi honestatis, castitatis, sanitatisque Conf. GERH. *de Conj. n. 37. p. 652.* Hinc potestate civili, quam extra matrimonium unus ex conjugibus in alteram habet, non obstante, pars subjecta ab imperii compote matrimonialia, quatenus talia sunt, postulare summò jure potest, vi consensus in istum ordinem, cui

one

onera illa imposuit divinum Numen. Nec sine læsione juris divini & naturalis præstationem denegare potest imperans justè efflagitanti, his enim juribus nititur jus supra dictum in rem & personam reciprocum, quod consensus genuit. vid. GROTIUS. *L. II. I. B. & P. c. V. n. 1. & 8.* Consensum autem esse ab utraq; parte in id intelligitur, etiamsi fateri postea detrectet fortè alterutra, sine quo id, quod conjugalis officii est, geri nequaquam potest, GROTIUS. *L. III. c. XXII. n. 4.* Quò ipsò fœmina imperans jus ac potestatem in se, quam in omni matrimonio ad finem ejus consequendum, auctor divinus marito concessit in illam, ab eo momento transtulit, quò amicitiam conjugali eum dignata est.

XVIII.

Hoc tamen præsentis casui peculiare est, ut si à Patre Illustriori pacti istius violatio contingat, ea in foro humano planè sit impunis, nec persona imperans promissi sui immemor à subditis in jus vocari vel ad servandum cogi potest vid. GROTIUS. *Lib. II. C. XIV. §. 6. n. 2.* Nulla est, inquit B. DANHAUER. humana potestas, quæ iniuriam vel ferociam in summa potestate, coercere possit, est tamen divina, eaq; vel mitior, nempe organica, potestas clavium dicta, vel peremptoria, in vermem conscientiam immortaliter terminata. Vid. THEOLOG. CONSC. *P. II. dial. 3.* Ut hæc ratione frustra somniaverint olim Mœchiani hæretici, Regum adulteria Legibus in universum omnibus (etiam divinis) eximentes, adversus quos investivam epistolam THEODORI STUDITÆ ad Leon. III. Pontif. M. videsis apud DANHAUW. *d. l. P. 1. Dial. 3. p. 49.* Divinarum enim & naturalium à Magistratu transgressarum legum ultor omninò ac solus existit DEUS.

XIX.

Posterioris ordinis jura matrimonio scilicet accidentalibus, vel adventitiis, à corrupto statu advecta, varia sunt, quæ nec tollunt matrimonium si absint, nec depravare possunt, si istud concomitentur. Quale Jus à parte uxoris est sustentatio passiva, quam à marito sibi ordinariè reddendam esse ex eo accepit, quod laborem non otiosam frugum atq; opum ab uxore allatarum consumptionem marito DEUS imposuerit, Gen. 3, 19.

XX.

Item nominis ac dignitatis Mariti participatio. Etenim

B 3

Uxor

Uxor ordinariè Mariti, æque ac liberi Parentum Conditionem sequitur, sicut enim liberi Portio Corporis Parentum sunt, ex quo dignitatem Patriciatus olim in Rep. R. à Patribus conscriptis, hodiè alios honores illustres à Baronibus, Comitibus ac Ducibus &c. ad Filios redundare indicat BECM. *Med. Pol. Diff. VIII. Thef. 8*; ita in Uxorem cum Capacitate receptiva Mariti honor & Auctoritas derivatur, quia una cum eo caro est, & ut Membrum suum Caput sequitur. Hùc pertinet etiam Protectio ac Defensio Mariti Uxori præstanda, vid. GERHARD. *d. l. n. 450. p. 686. seqq.*

XXI.

A Parte Mariti Jus imperandi ac dirigendi Uxorem consistit, cui Gloria parendi secundum ordinarium Dei Præceptum convenit, commendatur enim eidem iterum iterumq; in Scripturis *ὑποταγή* seu Subiectio, *1. Tim. II. v. 11. coll. Gen. III, 16.* Vir Caput Mulieris audit, ad quod Glossam sequentem adjicit B. GERH. Quod si ergò Uxor, inquit, in Virum sibi arroget Dominium, turbatur Conjugii Natura, & *ἁρμόζια* ab Arbitrio divino dependens. Sicut enim Ecclesia subiecta est Christo, ita & Mulieres Viris suis in omnibus, inquit Apostolus *Ephes. V, 24. 25.* scil. quæ cum Reverentiâ DEO debita non pugnant. Transeo Exempla Sanctarum Mulierum ad quæ Spiritus S. provocat, *1. Petr. III. v. 6. 7.*

XXII.

Sed reverà uti dixi hæc omnia Statûs corrupti sunt *ὑποταγή* & pura puta Coniugii Accidentia, non æternæ Veritatis i. e. Essentialia. Ostende enim apicem, qui ante lapsum Marito in Uxorem Imperium tribuat? Quin potius cum doloribus Partui propriis, quos profecto nemo sanæ Mentis Coniugio vel Puerperio essentialia adeoq; statui integro consuetos dixerit, subiectio ista æquò incedit Pede *Gen. III, v. 16.* Quamobrem Deum hæc atque talia mutare ac variare posse, quin etiam Actu ipsò mutasse non rarò, nemo arbitror ibit inficias! Id quod sapienter confirmat PUFENDORF. *Lib. VI. c. I. §. 11. de J. N. & G.* Utut, inquit, in negotiis Matrimonio peculiaribus Uxor ad voluntatem Mariti se componere tenetur, non tamen statim quoad alias quoq; actiones Imperium huic in illam necessariò competit; item paulò antè. Non statim Imperio alterius subiectus est, qui in certo negotiorum genere alteri Voluntatem sequi tenetur.

XXIII.

Sanè verissimum fuisse Matrimonium quod Josephus cum B. Virgine Θεοτόκῳ coluit, sacra indicat Pagina, sed tamen à communi Ordine id in tantum excepisse videtur Deus Portâ clausâ apud Prophetam prædicens, Coniugis Uterum post divinum Partum nunquam iri reclusum. Cuius Matrimonii rationem expositurus BECM. *Pol. Parall. diff. VII. §. 5.* Copulam carnalem, quam ex communi-
one Corporum, quæ suprâ ad requisita Essentialia à nobis relata est, resultare putamus, distinguit in actualem & radicalem, applicans posteriorem, non priorem ad Mariam, ut quæ scil. annuere potuisset Josepho poscenti debitum, nisi tertia quædam & gravior intervenisset causa, quia indignum erat, ut uterus, qui sanctissimum hominum tulisset, peccaminosum reciperet semen. Non enim novum est habere aliquem Jus, ac Possessionem, etsi non Exercitium, quod sublimiori, si opus esset, Exemplò declarare possemus. Pari ratione dicere possumus, verissima esse ac manere matrimonia inter Fœminam imperantem & Maritum civiliter eidem subiectum, etiamsi unum alterumq; huiuscemodi Matrimonii Adiunctum non nihil subeat variationis atq; mutationis.

XXIV.

Atq; talem imprimis deprehendimus clarissimè in defectu Imperii, quod cæteroquin Marito in Uxorem competit. Quale aliàs illud sit, & quousq; se extendat, an etiam ad Vitam in solitudine, ubi forum ordinarium cessat, disserit BECM. *Med. Pol. diff. VII. §. 15. p. 128.* An status integer illud nobis attulerit vix probabile est, propter æqualitatem Imperii ac Domini in terram atque animantia omnia, quæ Juris dictionis æqualitas quæ potuisset cum onere subiectionis consistere? Et posito etiam, quod Gradu distincti fuissent Protoplasti quoad Sapientiam, quid inde? Minorenes Principes, æqualis dignitatis, æquali etiam Jure ad hæreditatem in Regnis non exclusivis i. e. successivis æqualibus præditi sunt, & unus tamen alteri cedit ingenii dotibus. Prætereà longè aliter sonat Sermo invectivus post lapsum ad Evam à Deo habitus, quem tamen disponere de graviore subiectionis modo non de ipsa re putat BECM. *Pol. Parall. disp. VII. pag. 16.* Imperium, inquit, in statum Innocentiæ futurum fuisset, quia res domesticæ sine Ordine esse non potuissent. Quæ, quomodo concordent cum §. 15. *diff. VII. Med. Pol.* judicet lector,

Et or, quasi verò nullus Ordo in Statu integro absq; Imperio humano esse potuerit. Expressè Apostolus provocat ad seductionem Adami per Mulierem, tanquam ad rationem negati Domini, 1. *Tim. II, 13.* ad quæ Verba GERH. de *Conj. n. 451. p. 690.* scribit: Quia Domini-um Mulieris in Virum pessimum habuit Eventum, ideò illud ipsum non amplius erit concedendum. Poenæ spontaneæ transgressionis ac primevæ seductionis sit humiliatio subiectionis: quæ prima olim fuit in seductione, debet iam esse postrema & inferior in dominatione; hætenus Gerhardus. Conf. Dn. PUFENDORF. inquires: Quod in divinis literis uxoris voluntas marito subesse iubetur, & hic istius Dominus expressè constituitur, id in poenæ vicem foeminae legitur iniunctum, ac positivi duntaxat Juris esse videtur, *Lib. VI. c. 1. §. 11. de 7. N. & G.* In subsidium quidem data est Uxor Marito, scil. in procreatione & Educatione Sobolis, sed hoc subsidium in se spectatum non tollit æqualitatem Honoris: quidni enim æqualis succurrere possit æquali?

XXV,

Igitur ab hoc ipso Imperio, in quantum Essentia Coniugii illud non requirit, quod in quantum fiat, patet ex suprâ dictis in §. 17. absolvimus eiusmodi Personam, quæ Maiestatem habet etiam si Foemina sit.

XXVI.

Maiestas enim ipsius omnia Imperia minora eminenti modò in se continet, ac velut absorbet, æq; ac in naturalibus Lumen maius tollit minus. Soli itaq; Deo immediatè subest, adeoq; nulli Creaturæ, consequenter neq; Marito, quin potius suprematum Potestatis in omnes suos subditos, adeoq; etiam in talismodi Maritum habet. Hanc Supereminentiam abs Deo omnis Maiestatis ac Potestatis fonte acceptam (non est enim Potestas nisi à Deo *Rom. XIII, 1.*) pro libero suo beneplacito in alterum conferre non potest, partim quia Populo subest interesse, partim quia divinum beneficium parvi æstimandum non est, quia id rarò sine Poenitentia subsequente, quod Exempla docent, in alterum collatum est, quod alii tantifaciunt magnaq; vi accipere & conservare student. Taceo, quod hic neglectus Potestatis conceptus insignem arguat ingratitude, ei non absimilem, quam Esavus Primogenituram alii conferendam non impunè prodidit.

XXVII.

Multò minus eidem auferri potest, quia nullum absolutum Imperium amittitur, ne delinquendo quidem GROT. *L. II. c. I. §. 9. n. 1.*

Id

Id quod urfit pro Maria Scotiæ à subditis tum temporis captivitati inclusa Throcmortonus è Sacrarum Literarum auctoritate acriter differens : Reginam istam nullius Judicio præterquam cœlestis Judicii subiacere, pro nullius Tribunalis in terris posse sibi, omnem magistratus auctoritatem ab eius auctoritate esse delegatam & ab ipsa unicè revocabilem. vid. CAMBD. *Elisab* p. 120. *ad Ann* 1567. tantum abest, ut nubendo simpliciter id contingat. Hinc Elisabetha, Jure hæreditariò in Regnum sororis succedere se, ad Ferdinandum Imperatorem perscribit, & Comitum Parliamentaria suffragiis omnium sanciant, eam esse Jure divinò, civili Anglorum, & Regni statutis legitimam, indubitam, & certissimam Angliæ Reginam, &c. Ipseque Philippus morte Mariæ Uxoris compertâ, haud aliter Regni Anglici Vires ac nomen, quæ sibi imprimis tunc usui erant, retinere se posse confidebat, quam si cum Elisabethâ, Uxoris sorore, de nuptiis contrahendis de novo ageret. Vid. CAMBD. *c. l. ad Ann* 1554. & 1559. p. 10. §. 4. Hinc præcedaneis pactis majoris certitudinis & Securitatis causa, Jura in sceptrum uxoris, maritis etiam dignitate æqualibus, tanto magis inferioribus ante nuptias evelli solent, atque extingui. Sic v. gr. cum Elisabetham sponsam ambiret Carolus Archidux, ac Titulum non solum Regium, sed etiam successionem peteret, Suffexius Augustæ Vindelicorum cum Imperatore de Caroli nuptiis acturus, de Titulo quidem ac nomine Regis Angliæ convenit, de Successione verò ex Jure Regni aliter respondit; eam, concedi non posse, cum id liberis fraudi futurum sit, quorum tamen Tutelam habere possit. Nec ampliora, quod adiecit, Philippo Hispano cum Mariam duceret, concessa fuisse. vid. de Pactis illis connubialibus THUAN. *lib. XIII. ad Ann* 1553.

XXIIX.

Similiter Maria Scotiæ Darlium in Maritum electam non passa est sibi imperare, sed in negotiis publicis Ministri locò eum adhibuit, conf. BECM. *Diff. VI. §. III. pag. 98. Med. Pol.* THUAN. *l. XX. ad Ann* 1558. item *l. XXXVII. ab init.* quamvis enim hic Regis Nomen prius obtineret, quò eum aliquoties salutatur CAMBDENUS, postea tamen partim ex odiis, à Regina Fratre, Notho Jacobo, qui spe Tituli, quem tectè ambiebat, Regii, his nuptiis exciderat, excitat; partim etiam ex aliis domesticis simultatibus tumentem ut CAMDENUS vocat, Juvenem, cohibitura Regina Jura suæ Maie-

C

statis



status integra fervare studuit, nomine Mariti in Actis publicis postpositò & in signandis Nummis omninò omisso. Sic aliæ etiam Fœminæ imperantes, Majestatem suam proditura, non tam Reginae vocari voluerunt, quàm Reges, ne vel levissimò Signò auctoritatem suam Maritis cessisse viderentur. Qualem nominant Historici Mariam in Hungariâ & Isabellam in Castiliâ.

XXIX.

Quò ipsò nihil decedit divinæ Legi, quæ positiva tantum est, circa quam dispensare pro arbitrio absoluto potest, Præceptum enim superius tollit hoc locò inferius; quale est Magistratui obtemperandum, ergò ipsi non convenit ullius hominis Imperio se subicere.

XXX.

Nec fit iniuria Reip., quæ semel in Imperium hæreditarium vel consensit, vel Jure Belli in istam Imperii formam prolapsa est. Si ergò Jus gentis Sceptrum tribuerit Fœminæ, quid prohibebit, quo minus eò uti possit?

XXXI.

Nec est, cur bilem moveat Marito, qui nempè condescendit in eiusmodi connubium, quod liberum ipsi fuit; præprimis verò subditus planè non habet, de quo conqueratur, quia is subditus merè talis fuit, adeoq; etiam conscientiam non onerat opinione absurdi consensus. Quid, quod hoc ipsò in meliorem adhuc transferatur statum. Subiectio enim ejus longè mitior evadet quàm ante propter Familiaritatem non illicitam, ex consuetudine conjugali orta. Quemadmodum Filia subditi, si Rex eam Thoro dignetur suo, non parvam pristinae subiectionis partem deponet.

XXXII.

Num reip. usui sit viri potentis fœminæ gubernatio, BODINUS & ARNISÆUS potissimum vocant in dubium, quorum proluxa argumenta, in forma dilemmatis proposita, in compendium redacta proposuit cum solutione convenientissima B. THOMAS. Diss. de Gynæcocratia subsidiaria, quod eo recidit: I. Mulier regni hæres aut nubet aut non, si illud: certabit Regina vel cum populo, utrius è sententia virum eligat, vel cum Procis; si hoc, non attingitur finis Gynæcocratiæ, nempe familiæ continuatio. II. Dum vir imperio muliebri servit, invertitur jus naturæ, &c. cui ex sacris jam adjiciemus istud, væ populis dictum, quibus infans imperat & fœmina.

Ad

Ad quæ respondemus; prius argumentum plus probare, quàm de-
cet. Illud i. arietat etiam connubium Regis ad Capitulationes re-
stricti, quale est Sigismundi Regis Poloniae M. D. XCII. Annam Au-
striacam ducturi, apud quem proceres instabant, ut Rex ab illis nu-
ptiis desisteret, quas sine Senatus consensu tractaret, vel si eas exe-
qui vellet, ut prius concilia generalia ad minus indiceret, in quibus
Senatus consensum obtineret, & republ. suæ securitati caveret. vid.
PIASECIUS *in Chron. Pol. p. 97.* Aut itaq; talis Rex uxorem ducit,
aut non? Si illud, litigandum erit cum Populo, aut cum Magnati-
bus, quibus non præter morem est filias suas offerre aliis Principi-
bus, quibus spretis, irritari de facili possunt: Si hoc, non prospexif-
se de hærede Imperio suo censebitur, id quod tamen iterum de suc-
cessivo, quale Polonicum non est, accipiendum, ac turbæ invasio-
nesq; seu consanguineorum seu affinium post obitum imperantis e-
runt timendæ, quorum potentior eò etiam, qui propior est sangvi-
ne, Jure futurus est superior. Exemplis rem illustrare possemus
hodiernis, nisi odiosa forent.

XXXIII.

Verbo, in statu corrupto vivimus, qui nunquam ac nusquam
tutus omninò est à discrimine. Interim respondeo i. populi fer-
vorem parum obesse posse Principi, quem pacta præcedanea non
obstringunt, quod Elisabetha in hæreditario suo regno prudenter
observabat, responsi locò Oratori tertii ordinis nuptias svadenti, red-
dens: Laudo vos, quod maritum mihi non præstitueritis; hoc enim
Principe absolutæ Majestatis & vestræ prudentiæ, qui subditi nati, in-
dignissimum fuisset. Nihilominus si divino numini ita visum fue-
rit, promitto nihil me facturam, quod reip. sit fraudi, *CAMD. P. I.
p. 22.* Ubi verò proci adsunt plures, prudentia foeminae & ministro-
rum fidelitas rem ita moderabitur, ne in eos dedecus, & in rep.
damnum cadat. Si simpliciter detrectet nubere, cogi non potest,
& ob rationem status, cui leges, Imperii etiam Gynæocratici, ob ma-
jorem necessitatem cedere interdum tenentur, modò divinæ ne vio-
lentur, excusationem meretur. Sic Angliæ Proceres oportebat con-
tentos esse Reginae suæ responsò: Ego jam antea, inqvientis, mihi
maritum matrimoniò junxi, Regnum sc. Anglicum, & ecce, quod
vos obliuisci miror, maritalis hujus foederis & matrimonii mei cum
Regno

Regno meo Pignus, (ostendebat n. p. Annulum) vos estis mihi Liberi, mihi cognati. Si in suscepto vitæ genere permansero, non dubito, quin divinum Numen, & mea & consilia vestra ita dirigat, ut de Successore non ambigatur, qui magis Reip. sit usui, quam qui ex me nascatur, cum optimarum Principum soboles subindè degeneret. *Camd. c. I. p. 22.*

XXXIV.

Ad II. respondemus, Juri Naturæ non adversari istud Matrimonii Genus, quod hinc indè superius evicimus. HORN. *de Civit. l. I. c. I.* contendit: Nullum Imperium seu publicum seu privatum homini in hominem competere, absque expressissimâ constitutione Dei, ejusdemque præsentissimò interventu, qui hinc loci illi personæ patrocinator, quæ absolutam potestatem imperandi à Deo nacta est, præ lege maritali, quæ in Relatione ad publicam, Magistratu longè inferior est. Simile fermè conspicere licet in Filio Imperii gubernaculo admo-
to, qui parentibus casu vel aliâ ratione sibi subjectis civiliter imperat, quibus aliàs naturaliter amorem & honorem præstat. Habet enim hic status legalis Reip. præ naturali rei domesticæ aliquod præcipuum & aliquod peculiare.


XXXV.

Ad III. nempè Biblicam Objectionem repono (I.) Christum Reginarum honorificam facere mentionem v. g. Arabicæ *Matth. XII. v. 42.* Quæ, an cum Imperio fuerit E. THOMASIVS aliisque ne dubitare quidem volunt, vid. ejus *Diss. de Gyn. §. 65. l. 6.* Undè probabiliter emergit, eam non vixisse in statu simpliciter damnato, quin potius verum & legitimum Magistratum eam fuisse, conf. *Matth. II. 27.* Ubi Regina Candaces haud sinistra sit mentio. II. Mulieribus non denegavit natura, ejusdemque Parens & Auctor, vires ingenii ad Imperium aliaque pulcherrima aptissimum. (III.) Ipse Populus Judaicus, quem singulari in pretio habebat Deus, Pædocratiâ non caruit, quæ tamen cum *γυναικονορπία* pari passu ambulat. Ergò (IV.) istæ comminationes divinæ non propriè sunt accipiendæ, sed effœminati, i. e. voluptuosi, inermes, timidi judiciò carentes, stulti, *ABEUL. ad h. l. p. 59. &c.* intelliguntur. vid. *VATABL. in Annot. ad h. l. p. 158.* JUNIUS *in Notis ad h. l. p. 624.* GLASSIVS *Lib. V. Phil. Tr. I. c. I. p. 364.* PRUKN. *in Vind. ad h. l. Esaiæ III, 12.*

XXXVI.

Tantum hâc vice. Cæterum Imperiorum Arbitro, Satori Matrimoniorum ac Conservatori, summas, quas possum, exsolvo gratias, quod me measque vires hucusque clementer adjuvare voluerit, cujus Clementiam Votis supplicibus veneror, velit porrò Spiritu suo adesse, quò omnia Fautorum respondeant desideriis, & succedant ad sui ipsius
Gloriam.

Errata se qua forsitan occurrent, Lectoris benignitas equi bonique consulat, atque festinanti prelo veniam dabit.





Leipzig, Diss., 1686

ULB Halle

3

005 300 908



V077







4295

1686, 10

Ps.

IN NOMINE JESU!
DISQUISITIONEM POLITICO-MORALEM
DE
**MATRIMONIO FOE-
MINÆ IMPERANTIS**
CUM
MARITO SUBDITO,
Ampliss. Facultat. Philosoph. Indultu
SUB PRÆSIDIO
**M. JOHANN - DAVID
SCHWERTNERI,**
SS. Theol. Baccal. & Facultat.
Philosoph. Assess.
Præceptoris ac Favoris sui ætatem colendi
Ad d. XVI. Jan. M. DC. LXXXVI.
placidæ eruditorum disceptationi
subjiciet
JOH. CHRISTFRIED USÆUS,
Chemn. Luf. Theol. Cult.
H. L. Q. S.

LIPSIÆ, Typis JOHANNIS GEORGL

